

Societas, sed quilibet illorum mansisset solitarius: Consequens falsum videtur: Ergo &c. Sequela probatur. Nam tunc omnes Angeli differrent specie: Ergo si solitudo non tollitur per consortium aliorum suppositorum diversae naturae & speciei, Angeli in statu pura naturae creati, fuissent solitarii.

Respondeo quod licet Angeli in esse pura natura differant specie metaphysice, conveniant tamen specie in ordine ad convictum politicum in modo operandi: & haec diversitas est quae requiritur, ut unum suppositum alteri societatem non faciat. Cetera quae docet D. Thomas in hac quaestione, facta sunt, & ex sola lectione textus percipi possunt.

DISPUTATIO VII.

De cognitione divinorum personarum.

Ad quaestiones 30. D. Thomae.

Divinarum personarum cognitio verus ac solidus est animi cibus, quo viatores per fidem nutrantur in via: & comprehensores per speciem & claram visionem plene & perfecte relectantur in patria. Unde Augustinus serm. 29. de verbis Domini expendens verba illa Lucae 11. Amice accumbite mihi tres panes: illa de trium personarum divinorum cognitione intelligit, & subdit: Cum perveneris ad tres panes, hoc est ad cibum & intelligentiam Trinitatis, habes & unde cibus & unde panes. De hac ergo cognitione, & de notis seu notionibus, quibus divina personarum tam inter se, tum ab essentia discernuntur, breviter hic cum S. Doctore disserendum est.

ARTICULUS I.

An ex effectibus naturalibus mysterium Trinitatis demonstrari possit?

Partem affirmativam tenuit olim Raymundus Lullus, exitium eius rebus naturalibus deduci posse rationes omnino evidentes, quibus mysterium Trinitatis veritas ipsis etiam Mahometanis & infidelibus demonstrari possit: quavis ipsum conetur excusare Vasquez. Sed quidquid fit de eius mente, huic sententiae, seu potius errori, favere videtur quidam antiqui Theologi, ut Richardus a S. Victore, Henricus, & Joannes Gerfon, & cancellarius Parisiensis, qui licet concedant, seclusa omni revelatione divina, non posse mysterium Trinitatis ab intellectu creato cognosci; supposita tamen aliqua eius revelatione, saltem extrinseca, asserunt posse lumine naturali inveniri rationes, quibus huius mysterii existentia demonstrative probetur. Oppositum docent ceteri Theologi cum Magistro in 1. dist. 2. & cum S. Thomae ibid. dist. 3. q. 1. art. 4. & in praesenti qu. art. 1.

§. I.

Conclusio negativa statuitur.

Ico igitur: Ex effectibus naturalibus mysterium Trinitatis non potest demonstrari, etiam supposita divina revelatione.

Probatur ratione D. Thomae: Effectus cognitus sive quidditative, sive comprehensiveve, non ducit in cognitionem causae, nisi sub ea ratione sub qua ab illa procedit: Atque effectus naturales non procedunt, nec pendunt per se a Deo, ut Trino, sed solum quatenus Uno: Ergo ex illis, etiam ut comprehensivi, non potest cognitio demonstrativa Trinitatis haberi. Major est certa: nam cognitio causae ex effectu fundatur in dependentia, quam effectus habet ab illa: Ergo ex effectu non potest cognosci causa, nisi sub ea ratione qua terminat dependentiam illius, & sub qua effectus ab illa produciatur. Minor autem probatur. Creaturae procedunt per se a Deo, ratione omnipotentiae, pro modum virtutis proximae, & ratione divinitatis, ut principii radicalis. Sed omnipotentia & Divinitas conveniunt Deo pro priori ad relationes, quibus constituuntur personae: Ergo per se non dependent a Deo, quatenus Trino, sed quatenus Uno. Unde si per impossibile Deus non esset Trinus in personis, sed in unica persona subsistens, ut existimabant olim Philosophi Gentiles, adhuc manerent creaturae, cum perseveraret virtus productiva illarum, scilicet omnipotentia.

Confirmatur & magis illustratur haec ratio, hoc exemplo apertissimo. Sicut effectus procedentes ab artifice, v.g. tabella depicta a pictore, vel domus ab aedificatore constructa, eius quidem artem & industriam manifestant; quia ab illa procedunt, & per se dependent; non tamen eius colorem, figuram, staturam, vestes & similia, quae per se non concurrunt ad operis productionem, sed mere per ac-

cidens & concomitanter se habent in artifice ut artificioso operante: Ita pariter, quavis ex inspektione creaturarum, & ex artificiosa huius mundi fabrica, infinitam supremi illius artificis artem, sapientiam, & potentiam cognoscimus, iuxta illud Apostoli ad Roman. 1. Invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus ac Divinitas: ex illis tamen ad notitiam Trinitatis devenire non possumus, quia Deus ut Trinus, per se non concurrat ad productionem creaturarum, sed ut omnipotens, & sapiens, ac supremus artifex; & quia divinae relationes, quae activa non sunt, & habent rationem puri termini, non influunt in opera Dei ad extra, sed solum personas divinas in ratione principii quod actionum notionalium constituunt.

Haec ratio non solum probat, seclusa divina revelatione, ex effectibus naturalibus mysterium Trinitatis non posse demonstrari, sed nec etiam illa supposita; quia revelatio non dat effectibus Dei dependentiam ab ipso, quatenus Trino: Ergo si defectu connexionis cum Deo, quatenus Trino, non potest ante revelationem ex illis Trinitas personarum demonstrari, etiam revelatione supposita, non poterit Deus ut Trinus ex creaturis demonstrative cognosci.

§. II.

Principales objectiones solvuntur.

Contra precedentem conclusionem in primis obijci potest, quod Philosophi Gentiles cognoverunt mysterium Trinitatis: Sed nulla fuit eis facta revelatio supernaturalis: Ergo seclusa omni revelatione supernaturali, ex effectibus naturalibus potest mysterium Trinitatis evidentem cognosci. Minor, & Consequentia patent. Major vero probatur ex eo quod multa inveniuntur dicta a Philosophis Gentilibus de hoc mysterio. In primis enim Aristoteles 1. de celo, loquens de numero ternario, dicit quod per illum oportet nos Deum magnificare. Item Pythagoras, teste eodem Aristotele, docuit ipsum omne, ac omnia, tribus esse definita; propter quod in Deorum sacrificiis numero ternario uti solebat. Item Avicenna olim dicebat quod EI, & Elohim, & Jehova tres personae, & unus Deus, creaverunt mundum. Similiter Trinegismus asserit quod, Monas genitrix Monadem, & in se suam reflexit ardorem: quibus verbis manifeste videtur exprimi generatio Verbi, & processio Spiritus Sancti. Denique Augustinus 1. 6. Confess. refert se legisse in libris Platoniorum, non quidem eisdem verbis, sed similibus, multa ad sanctissimam Trinitatis notitiam pertinentia, v.g. illud quod de aeterna Verbi generatione scribit Joannes: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.

Confirmatur: In plaribus naturae operibus aliqua relucere videntur Trinitatis vestigia, ex quibus Gentiles Philosophi poterunt hoc mysterium cognoscere, vel saltem aliquam illius habere suspicionem. Nam, ut egregie annotavit Joannes Bongus, in libro quem edidit de mystica numerorum significatione, ita in numero ternario luit natura, ut primo aspectu videatur increata & inscrutabilis Trinitatis imaginem in eandem suis operibus insculpsisse. Tres enim funt gradus naturae constitutivi: scilicet esse, vivere, & intelligere. Trium naturarum principia; materia, forma, & privatio. Tres durationum mensurae: tempus, aevum, aeternitas, Tres temporis partes: futurum, praesens, & praeteritum. Triplex quantitatis species: linea, superficies, & corpus. Tres calos tantum admittunt Philosophi. Triplex vitae principium: anima rationalis, sensitiva, & vegetativa. Triplex in anima rationali potentia: intellectus, memoria, & voluntas. Tres Angelorum Hierarchia, & quaelibet in tres choros divisa. Triplex eorum operatio: purgatio, illuminatio, & perfectio. Triplex eorum status: naturae, gratiae, & gloriae. Triplex eorum motus: circularis, reclusus, & obliquus, ut docet Dionysius in libro de caelesti Hierarchia. Denique ut aiebat olim Pythagoras: omnia tria sunt, & tria unum.

Ad objectionem respondeo, negando Majorem: Ad cuius probationem respondet primo D. Thomas hic art. 1. ad t. quod Philosophi non cognoverunt Trinitatis mysterium per propria, quae sunt Paternitas, Filiatio, & Processio Spiritus sancti, iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 2. Loquimur Dei sapientiam, quam nemo principum huius saeculi cognovit, id est nullus antiquorum Philosophorum, qui fuerat veluti principis secularis doctrinae, ut exponit glossa; sed solum cognoverunt quaedam essentialia attributa, quae appropriantur personis divinis; sicut potentia Patri, sapientia Filio, & bonitas Spiritui sancto.

Ad illud vero Aristotelis, Pythagorae, & aliorum, qui numero ternario appellabant divinum, eumque in sacrificiis tanta cum religione adhibebant: Respondet Deorum sacris fuisse adhibitu, non propter mirabilem illarum personarum Triadem, in unitate simplicissime essentiae subsistentem, quam antiqui profus ignorarunt, sed propter eminentem supra omnes alios huius numeri perfectionem.

fectionem. Nam in numero ternario omnia veluti includuntur: quia continet unum, cui competit ratio principii, & duo, quibus convenit ratio medi; & tria, quae habent rationem finis, ut explicat Zanardus, & Bongus ubi supra.

Ad hunc autem Trinegisti locum: Monas genitrix Monadem &c. dicit referendum esse non ad generationem Filii, vel processionem Spiritus sancti, sed ad productionem mundi: nam unus Deus, unum mundum produxit, propter sui amorem.

Ad illud Augustini, qui refert se legisse in libris Platoniorum: In principio erat Verbum &c. respondet quod ibi verbum non sumitur secundum quod significat personam genitam in divinis, sed secundum quod per verbum intelligitur ratio idealis, per quam Deus omnia condidit, quae Filio appropriatur.

Secundo responderi potest cum eodem S. Doctore in 1. dist. 3. q. 1. art. 4. & ad Annibal. ibidem q. 2. art. 2. aliquos Gentiles Philosophos pervenisse ad aliquam notitiam mysterii Trinitatis, non ex inspectu creaturarum, vel ex rationum naturalium demonstratione, sed ex Hebraeorum magisterio, & Scripturarum sacrarum lectione. Certissimum enim est, antiquos Philosophos sapsissime Judaeorum Doctores consulisse, ut de Pythagora & Apollonio refert Hieronymus. Ipsos etiam sacra Scripturae libros interdum lecitasse, conlat Aristotelis testimonio, qui lecto Genesis libro, de Moyse ejus Auctore dixisse fertur: Pulchra profecto scribit hic probatur; si ex probaret. Et D. Thomas loco citato ad Annib. ait: Plato legisse dicitur libros legis & Prophetarum, per quos aliqualem cognitionem Trinitatis habere possit. Potuerunt etiam illi Philosophi aliqualem huius mysterii haurire notitiam ex verbis Sybillarum, quibus quamplurimum Christiana religio arcana, in premium illibatae virginitalis revelata sunt: vel etiam ex Daemonum revelatione, ut docet D. Thomas locis citatis. Dæmones enim, qui in primo suae creationis instanti, in quo in gratia creati sunt, huius mysterii fidem habuerunt, de illo interdum homines fuisse allocutos, indicat illud Serapis responsum, qui consulenti Thali, qui in Aegypto regnavit, quismam esset se beator? dixisse fertur: Principio Deus est, cum sermo, ac spiritus illis. Adde: hic tria sunt coeum, & tendentia in unum. Ita refert ex Suida Ludovicus Vives, libro 10. de civitate Dei cap. 23.

Ad confirmationem dicendum est, quod licet in creaturis aliqua reluccant Trinitatis vestigia, ex his tamen, seclusa divina revelatione, humana ratio non potest in aliquam ejus notitiam, vel levissimam suspicionem venire. Nam, ut docet D. Thom. in 1. dist. 33. q. 1. art. 1. ad 2. Omnia similia quae ex creaturis ad explicandum hoc mysterium adduci possunt, plus habent de assimilabilitate: ideo magis abducunt a veritate huius mysterii, quam in ejus veritatem intellectum inducunt. Unde Dionysius lib. 1. de divinis nominibus: Nullus numerus, aut unitas, aut secunditas, aut aliud quippiam aperit arcanum illud divinitatis, quod omnino rationem superat & intelligendum.

In huius rei typum, Ezechielis 10. thronos sanctissimi Trinitatis dicitur esse positos super quatuor animalium capita: quia (ut interpretatur Doctores) huius mysterii subtilitas, quadruplici cognitionis creatae gradus transcendit; sensitiva scilicet, per bovem; phantasia, per leonem; rationalis, per hominem; & angelicæ, per aquilam figurata.

§. III.

Corollantur alia fundamenta adversus sententiam.

Contra precedentem conclusionem plura congerit argumenta Raymundus Lullus, quae evidentia & demonstrativa existimat; quia tamen nullius fere momenti sunt, his praetermissis,

Contra illam argui potest primo. Communicatio naturae divinae ad intra, potest ratione naturali evidentem probari: Sed illa cognita mysterium Trinitatis cognoscitur: Ergo huius mysterii existentia potest ratione naturali demonstrari. Minor patet. Major autem, in qua consistit difficultas, probatur. Cum enim natura boni fit esse diffusivum sui, & naturae lumine notum, omne bonum se posse communicare & diffundere, iuxta suam naturam, naturali ratione cognoscitur, bonum finitum posse finite communicari, & bonum infinitum, qualis est natura divina, posse communicari infinite: Sed solum communicationem naturae divinae ad intra esse infinitam simpliciter, etiam lumine naturali manifestum est: Ergo potest lumine naturali evidentem demonstrari communicatio naturae divinae ad intra.

Confirmatur: Lumine naturali notum est, omnes perfectiones in Deo reperiri: Sed constat etiam lumine naturali, maximam esse perfectionem, generare sibi simile: Ergo eodem lumine manifestum est, generationem in Deo reperiri, & consequenter Verbi productionem: etio lumis

ne naturali processu Spiritus sancti cognosci nequeat. Unde glossa ordinaria super c. 8. Exodi, dicit quod Magi Pharaonis defecerunt in tertio signo, id est in notitia tertiae personae, scilicet Spiritus sancti, & sic ad minus duas cognoverunt.

Confirmatur amplius: Nullius boni possessio potest esse jucunda sine consortio: Sed in divinis est infinita bonitatis possessio jucundissima; & haec sunt naturaliter nota: Ergo est naturaliter notum, esse consortium in divinis, & consequenter pluralitatem personarum in divina natura.

Ad argumentum respondeo, negando Majorem, ad cuius probationem, distinguo Majorem. Naturali ratione cognoscitur bonum infinitum posse communicari infinite, ex parte modi communicandi, concedo Majorem. Ex parte rei communicatae, nego Majorem: & sub eisdem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Nam licet communicatio divinae bonitatis ad extra, non fit infinita ex parte rei communicatae; est tamen infinita ex parte modi, quo Deus se communicat ad extra, educendo res e nihilo, ad quod requiritur virtus infinita: & solum haec communicationis infinitas potest ut possibilis lumine naturali demonstrari, non autem possibilitas communicationis infinitae ex parte rei communicatae.

Dices: Non minus est conformis bono infinito communicatio infinita ex parte rei communicatae, quam bono finito communicatio finita ex parte etiam rei communicatae: Sed quia est bono finito conformis, potest de illo per rationem naturalem demonstrari: Ergo pariter communicatio infinita, etiam ex parte rei communicatae, poterit de bono infinito demonstrari.

Sed facile responderetur distinguendo Majorem: Non minus est conformis, in re ipsa, concedo Majorem. Quod nos nego Majorem: & concessi Minoris, nego Consequentiam: Nam vim communicandi convenientem bono creato propriis viribus cognoscimus, quia est proportionata viribus nostri intellectus: virtutem autem quam Deus habet se communicandi ad intra, non possumus propriis viribus apprehendere; quia non suppetunt nobis huic cognitionis principia, sola ratione naturali consultis; & ideo quamvis in re ita fit conformis naturae divinae communicatio ad intra, sicut bono creato est conformis sua propria communicatio; haec tamen potest a nobis per vires naturae cognosci, secus autem illa.

Ad primam confirmationem dicendum est, quod licet lumine naturali notum sit, in Deo reperiri omnes perfectiones simpliciter simplices, id est quae nihil habent imperfectionis admixtum, lumine tamen naturali non constat, generationem esse huiusmodi: immo potius lumine naturale dicitur, generationem non posse fieri sine divisione naturae & substantiae in genito & in generante, nec per consequens sine imperfectione. Unde quod generatio fit perfecta simpliciter simplex, nullatenus in suo conceptu involvat imperfectionem, non cognoscimus certo, nisi per divinam revelationem, quae docemur in Deo esse Filium a Patre genitum, ante omnia saecula, ejusdemque substantiae & naturae cum illo.

Quare ad illud quod dicitur de Magis Pharaonis, respondet D. Thomas hic art. 1. Quod illi dicitur deesse in tertio signo, id est in cognitione tertiae personae, quia a bonitate quae Spiritui sancto appropriatur devioverunt, dum cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, ut dicitur ad Romanos 1.

Ad secundam confirmationem dicitur, quod possessio boni non est jucunda sine consortio in supposito non habente omnimodam rationem boni: si vero omnem rationem boni in se possideat, rationaliter negari potest, ad jucundam talis boni possessionem requiri consortium.

Secundo in eandem conclusionem argui potest: Deus ut Unus non minus est supernaturalis, quam ut Trinus: Sed non obstante hac supernaturalitate unitas divinae naturae lumine naturali demonstrabilis est, ut patet ex dictis in Tractatu de attributis disp. 1. art. 3. Ergo etiam Trinitas personarum lumine naturali demonstrari potest.

Respondeo distinguendo Majorem: Non minus est supernaturalis, entitative, concedo Majorem. In ratione cognoscibilis, nego Majorem. Cum enim Deus ut Unus habeat connexionem cum effectibus naturalibus quos naturalis ratio potest cognoscere, non vero ut Trinus; ut Unus, non est supernaturalis in ratione cognoscibilis, bene tamen ut Trinus.

Dices: Cognoscibilitas sequitur entitatem: Ergo si Deus ut Unus non minus fit entitative supernaturalis, quam ut Trinus, etiam in ratione cognoscibilis aeque erit supernaturalis.

Respondeo verum esse Antecedens, de cognoscibilitate immediata, haec enim commensaturatur cum entitate ad quam sequitur; falsum autem de cognitione aut cognoscibilitate ad entitatem, sed ut connexam cum illo, in quo, vel ex quo cognoscitur. Et quia in hac connexionem esse discernitur inter Deum ut Unum, & ut Trinum (nam sub prima consideratione est formaliter cum effectibus naturalibus connexus, secus autem sub secunda) hinc fit, quod licet

licet aequiparentur Deus ut Unus & ut Trinus, quoad rationem supernaturalis, in cognoscibilitate immediata, in mediata tamen differant; & Deus ut Unus hoc genere cognitionis sit lumine naturali intellectus cognoscibilis, secus autem Deus ut Trinus.

24 Obiicies tertio: Imago ducit in cognitionem prototypi: Sed in homine est imago Trinitatis, ut docet D. Thomas infra q. 93, art. 5. constataque ex illo Genesis 1. *Faciemus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: Ergo homo potest ex cognitione sui, ad Trinitatis notitiam pervenire.

25 Respondeo ex D. Thoma ibidem in resp. ad 3. quod licet in homine sit imago Trinitatis, non potest tamen nos ducere ad illius notitiam; quia talis imago deficiens & imperfecta est, ut ex loco praelegato Genesis colligitur. Nam particula illa, *ad imaginem*, motum quemdam tendentiae in perfectionem designat, ut notat ibidem S. Doctor. Ratio etiam id suadet: Nam licet in anima nostra sint tres potentiae, sicut in divina natura tres personae, ille tamen nec per se subsistunt, sicut personae divinae, nec realiter identificantur cum substantia animae, sicut relationes cum divina essentia: vel si realiter identificentur cum anima (ut aliqui Philosophi docent) realiter non distinguantur inter se, sicut personae divinae. Unde (ut supra ex eodem Angelico Doctore annotavimus) haec imago magis abducit a veritate mysterii Trinitatis, quam in eam veritatem intellectum inducat.

26 Obiicies quarto: Effectus ducit in cognitionem ideae & exemplaris a quo dependet: Sed plures sunt effectus creati, qui a divinis relationibus, & personalitatibus exemplariter dependunt; nam personalitas creata v. g. imitatur divinam; & illam tanquam causam exemplarem respicit: item paternitas creata, est quaedam imago & expressio paternitatis divinae, & ab illa ut a causa exemplari dependet: unde Apostolus ad Ephes. 3. *Electo genui meo ad Patrem Domini nostri Jesu Christi ex quo omnis paternitas in caelis & in terra nominatur*: Ergo ex effectibus creatis possumus pervenire ad Trinitatis notitiam.

27 Respondeo, concessa Majori, negando Minorem. Nam (ut docet S. Thomas supra quaest. 15. art. 1. ad 3.) idea seu exemplar creaturarum in Deo est ipsa divina essentia, ut est principium operandi, & prout cognita ut diversimode imitabilis & participabilis a creaturis. Unde cum relationes & proprietates personales in Deo, non sint principium operandi ad extra, nec ad efficientiam creaturarum concurrant, ratione illius quod superaddunt essentiae, non habent rationem ideae vel exemplaris respectu creaturarum. Id vero quod dicit Apostolus de paternitate divina, secundum quamdam attributionem vel appropriationem intelligendum est. Sicut enim sapientia creata dicitur derivari a Filio, & caritas a Spiritu Sancto: quia licet haec attributa sint omnibus personis communia, quodammodo tamen Filio & Spiritui Sancto appropriantur: ita pariter paternitas divina, per quamdam appropriationem dicitur fons, & origo, ac exemplar totius secunditatis & paternitatis creatae.

28 Dices: Personalitas creata est participatio personalitatis divinae: Ergo ab illa ut a causa efficiente & exemplari per se pendet.

Respondeo distinguendo Antecedens: Personalitas creata est participatio personalitatis divinae: secundum id quod implicite includitur in personalitate divina, nempe secundum rationem subsistentiae absolutae, concedo Antecedens, ratione illius quod personalitas divina addit ad essentiam & perfectiones absolutas, nego Antecedens: cum enim ratione illius superadditi perfectionem non dicat, nequit eminenter continere personalitatem creatam, quod necessarium erat, ut haec divinam participaret.

29 Nec obstat, subsistentiam absolutam non esse incommunicabilem: nam licet non sit formaliter incommunicabilis, est tamen incommunicabilis eminenter, sicut licet Deus non sit discursivus formaliter, est tamen discursivus eminenter. Unde sicut hoc sufficit ut discursus hominis participet divinum intelligere, & exempletur ab illo; ita sufficit ut personalitas creata sit participatio subsistentiae Dei absolutae, & exemplariter ab illa causetur.

30 Insuper: Personalitas Verbi, ut distincta a subsistentia absoluta, supplet vires personalitatis creatae, terminando humanitatem: At nisi illam eminenter contineret, non posset illius vires supplere: Ergo personalitas divina, ratione illius quod superaddit ad essentiam, eminenter continet personalitatem creatam, non vero ratione subsistentiae absolutae, quam includit implicite, & per consequens personalitas creata est participatio divina, ratione illius quod personalitas divina addit ad essentiam, & perfectiones absolutas.

31 Respondeo duo praestari a personalitate creata propria naturae quam terminat: primum est independentia ab alio ut sustentante, quod perfectio est: secundum est incommunicabilitas alteri ut supposito terminanti, quod perfectionem non explicat. Primum supplet personalitas Verbi, ratione subsistentiae absolutae quam implicite includit:

secundum, ratione subsistentiae relativity, quam superaddit essentiae; ad quod necessarium non est quod continet eminenter continens effectiva incommunicabilitatem quam supplet, sed sufficit quod illam continet eminenter formaliter.

Objicies quinto: Intellectus humanus ex divina revelatione & illustratione perficitur & reboratur, etiam in ordine ad ea quae naturaliter potest cognoscere, cum omne inferius, ex conjunctione cum superiori, etiam in ordine ad proprium defectum perficitur: ut patet in virtutibus moralibus, quae perficiuntur ex conjunctione cum caritate & virtutibus insuis; & in cognitiva, quae perficitur & redditur capax alicujus imperfecti discursus, ex conjunctione quam habet in homine cum potentia intellectiva, ut docetur in libro de anima: Ergo licet intellectus humanus non possit ex propriis viribus ante revelationem demonstrare existentiam Trinitatis, id tamen poterit revelatione supposita.

Confirmatur: Intellectus creatus ante omnem revelationem non potest fide humana credere existentiam Trinitatis, & tamen illa suppositio illi potest: ut constat in Haereticis, qui differentes aliis fidei nostrae mysteriis, huic assentiuntur, non fide divina & supernaturali, quae caret, sed humana & naturali. Ergo pariter, licet nequeat intellectus creatus ante omnem revelationem demonstrare naturaliter existentiam Trinitatis, praesupposita tamen divina revelatione, illam ex effectibus naturalibus demonstrare potest.

Ad objectionem respondeo, concessa Antecedente, negando Consequentiis. Quantumcumque enim intellectus perficitur in ordine ad ea quae naturaliter potest cognoscere, numquam tamen potest in illis, vel ex illis, cognoscere ea quae in eis cognoscibiliter non continentur. Unde cum (ut ostendimus) effectus naturales, defectu connexionis cum Deo ut Trino, nequeant ex se ad illum ut Trini cognitionem movere, intellectus humanus, etiam supposita divina revelatione, ex illis nequit demonstrationem Trinitatis elicere. Sicut ex principio non habente necessariam connexionem cum aliqua veritate, numquam potest intellectus, quantumcumque lumine fidei, aut alterius habitus supernaturalis perficiatur, talem veritatem demonstrare, & ex illo principio necessariam conclusionem inferre.

Ad confirmationem concessa Antecedente, nego etiam Consequentiis & paritatem. Ratio autem discriminis est, quia fides humana utitur extrinseco testimonio; ac proinde, cum addit, revelatione supposita, testimonium extrinsecum, quod ante eam adesse non poterat, inde fit, quod possit mysterium Trinitatis creatae fide humana, revelatione supposita, non vero antecedenter ad illam. E contra vero demonstratio naturalis nititur principiis ab intrinseco connexis cum objecto cognoscendo: unde cum revelatione non praebet effectibus naturalibus connexionem intrinsecam cum mysterio Trinitatis: illi (supposita etiam revelatione) non minus manent impotentes ad inducendum huius mysterii evidentem cognitionem; quam antecedenter ad illam.

§. IV.

*Duo corollaria notata digna.*

EX dictis colliges primo, Mysterium Trinitatis, etiam sub ratione possibilis, per rationem naturalem non posse evidenter cognosci; nam si posset evidenter demonstrari ut possibile, posset etiam demonstrari ut existens: cum lumine naturali notum sit, Deum (utpote actum purissimum) non posse esse in potentia ad aliquam entitatem aut perfectionem; & per consequens quicquid possibile est in Deo, in eo actu reperiri.

Colliges secundo, Nedum in effectibus naturalibus, sed nec etiam in supernaturalibus, cum Deo ut principio efficiente comparari posse evidenter cognosci Trinitatis mysterium. Ideo enim in effectibus naturalibus, Deus ut Trinus nequit evidenter cognosci, quia a Deo quatenus Trino non causantur efficienter, nec ab illo ut sic per se dependet: Sed eadem ratio valet per effectibus supernaturalibus: nam illi etiam non procedunt efficienter a Deo ut Trino, nec per se ab illo dependet: Ergo ex illis, quantumcumque comprehensis, non potest Deo ut Trino evidenter cognosci. Dixi in effectibus supernaturalibus, cum Deo ut principio efficiente comparari: quia quantum sunt entia supernaturalia, quae Deum ut est in se, tamquam objectum specificativum respiciunt, quae proinde, fit ad illum ut objectum comparantur, non possunt evidenter cognosci, nisi etiam evidenter cognoscatur Trinitatis mysterium. Unde docent nostri Thomista 3. part. qu. 11. ex visione beatifica, evidenter cognita, Trinitatem personarum evidenter cognosci, ratione connexionis, quam visio habet cum illa, non ut effectus cum causa efficiente, sed ut effectus cum objecto.

Dices, Si visio beatifica a Deo ut Trino tanquam ab objecto dependet, a Deo etiam ut Trino tanquam a causa

§. II.

*Respondetur quaestio.*

causa efficiente procedet: Ergo in illa, ut in Dei effectibus, poterit mysterium Trinitatis evidenter cognosci. Consequenter patet, Antecedens vero probatur. Nam, ut docent nostri Thomista in libro de anima, & in Tractatu de visione beatifica; objectum, mediante specie quam imprimunt, effective in cognitionem influit iuxta commune illud Augulini estatum, quo affirmat ex objecto & potentia parari notitiam, sicut ex concursu maris & feminae gignitur proles: Ergo si Deus, ut Unus & Trinus, sive divina essentia, ut tribus personis communicata, sit objectum visionis beatificae, illa a Deo ut Trino, tanquam a causa efficiente pendebit.

39 Respondeo distinguendo Antecedens: Si visio beatifica pendet a Deo ut Trino, tanquam ab objecto motivo, a Deo etiam ut Trino tanquam a causa efficiente procedit, concedo Antecedens. Si dependet ab illo, ut objecto pure terminativo, nego Antecedens. Ad cuius probationem similiter dicendum est, quod objectum motivum influit effective in cognitionem, non vero objectum pure terminativum. Itaque licet essentia divina, ut actu tribus personis communicata, & ut continens relationes & attributa, terminet visionem beatificam, non tamen movet per se ad illam, nec gerit vires speciei, ut actu communicata tribus personis, sed tantum ratione perfectionis absolutae, & prout virtualiter a linea relativa distinguitur, alias paternum intellectum moveret ad Filii generationem, ut actu communicata Filio; & consequenter Filius a seipso ut a principio procederet: Item una persona ratione suae subsistentiae relativity, posset habere aliquem concursum effectivum ad extra; quod tamen communiter negant Theologi: Tum quia relationes divinae non sunt activa, cum habeant rationem puri termini: Tum etiam, quia alias opera Trinitatis ad extra, non essent indivisa nec toti Trinitati communia, ut in Tractatu de attributis disp. 2. art. 5. §. 2. fuisse declaravimus.

ARTICULUS II.

*An & qua deatur notiones in divinis?*

§. I.

*Quid nomine notionis intelligantur Theologi, breviter explicatur.*

39 NOMEIN NOTIONIS intelligimus cum D. Thoma hic art. 2. ad 2. propriam rationem cognoscendi personam divinam: sumendo illam rationem, non pro formali conceptu, quo illam personam specialiter cognoscimus, & discernimus ab alia; sed pro conceptu objetivo, seu aliqua nota speciali, sigillo, & veluti charactere, tenente se ex parte ipsius personae, ratione cuius ipsam cognoscimus, & a quacumque alia discernimus. Ex qua definitione seu potius descriptione.

41 Colligitur primo cum Cajetano hic; quod notio proprie loquendo significari debet in abstracto, est enim formale cognoscendi principium: formale autem principium cognoscendi, sicut & formale principium essendi, congruentius in abstracto significatur, quod est modus formae, quam in concreto: Ergo sicut personalitas, quia est formale principium essendi personaliter, proprie significatur in abstracto, ita & notio.

43 Nec obstat, Augustinum 1. de Trinit. c. 6. pro notionibus Patris & Filii assignasse genitum, & ingenitum esse, quae concreta sunt: ibi enim concretum pro abstracto usurpavit. Neque hoc inconveniens est, quando non disputatur cum Haereticis, cum quibus verborum rigor, & omnimoda proprietatis servanda est.

43 Colligitur secundo discrimen quod inter relationes, proprietates, & notiones versatur. Nam licet haec tria in eadem formalitate abique virtuali distinctione conveniant; primum tamen illi formalitati convenit per respectum ad correlativum; secundum per comparisonem ad personam cuius est proprietatis, tertium comparative ad intellectum, qui est ratio manifestandi personam constitutum. Quae doctrina est D. Thomae in 1. dist. 26. qu. 2. art. 3. ex qua ibidem inferit, prout intelligi in relatione rationem respectus ad terminum seu correlativum, deinde rationem respectus ad terminum, esse rationem notionis, eo quod nihil possit esse ratio manifestandi aliquid, nisi fit illi proprium; nec illi possit esse proprium; nisi ab aliis distinguatur; quod in divinis fit per relationem.

44 Colligitur tertio, tria requiri ut aliquid dicatur notio in Divinis. Primum est, quod significet aliquid pertinent ad originem; quia relationibus originis distinguuntur personae. Secundum, quod pertineat ad dignitatem, vel saltem illam denotet, quia persona nomen dignitatis est, ut docet D. Thom. supra q. 29. art. 5. ad 2. Tertium, quod dicat aliquid speciale, quia quod est commune tribus personis, non potest esse ratio discernendi unam personam ab alia. Ita idem S. Doctor loco citato ex primo sententiarum. His praemissis, facile poterit resolvitur difficultas proposita, Unde sit

Dico primo, ponendas esse in Divinis notiones. Ita communiter docent Theologi, cum Magistro in 1. distinct. 26. & cum D. Thoma hic art. 2. ubi hanc conclusionem duplici ratione demonstrat. Prima est: Catholici debent habere nomina abstracta, quibus utantur ut respondeant Haereticis, in inquirentibus quemnam Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sint personae? Sed rationes objectivae correspondentes his nominibus, & ab illis significatae, sunt notiones, quia sunt propriae personae personales, non utrumque, sed ut principia quibus personae divinae innotescant: Ergo in Divinis poni debent notiones.

Secunda ratio est: Oportet habere nomina, quantum fieri potest, ad explicanda omnia quae sunt in Divinis: Sed in una persona Trinitatis, v. g. in Patre, sunt duae relationes, scilicet paternitas, & spiratio activa: Ergo oportet habere nomina, ad explicandum non solum unitatem personae, sed etiam pluralitatem relationum; rationes vero objectivae, his nominibus significatae, sunt vere notiones, utpote participantis definitionem notionis: Ergo in Divinis notiones admittende sunt. Minorem probat D. Thomas: quia spirationi activa correspondet per terminum relatio spirati, & paternitati filiato, quae diversae relationes sunt, unica autem relatio ad duos terminos non potest referri: Ergo non correspondit ipsis in Patre unica, sed duplex relatio.

Dices: Una relatio secundum speciem terminari potest ad plures relationes; ut constat tum in patre plures filios habente, ad quos una relatio refertur, cum tamen ex parte filiorum plures relationes correspondant; tum etiam in alio, quod unica relatione similitudinis omnia respicit quibus assimilatur, cum tamen in quolibet illicum distincta sit relatio; tam denique in filio, quem unica relatio patrem & matrem respicit, & tenet frequentior Philo-sophorum sententia, cum tamen relatio patris & filii matris specie distinguatur: Ergo ex eo quod in Filio & Spiritu sancto, ad quos Pater refertur, plures sint relationes, non recte colligitur relationes, quibus illos respicit, specie virtualiter esse distinctas.

Respondet distinguendo Antecedens. Ad plures relationes, speciei adequate distinctas, nego Antecedens: numero solum differentes, aut specifice inaduate in ratione terminandi, concedo Antecedens, & nego Consequentiis, quam non probant exempla adducta. In primo enim & secundo, solo numero distinguuntur relationes terminantes. In tertio, est paternitas & maternitas specifice distinguantur, illarum tamen distinctio inadadata est & partialis, in ratione terminandi relationem filiationis: quia eo modo comparantur relationes istae ad terminandam relationem filiationis, quo patris & matris activi & passivi concursus ad causandum filii nativatem. Sicut ergo ad istam inaduate & partialiter se habet utriusque concursus, ita eorum relationes inaduate & partialiter terminant relationem filii. In nostro autem casu, processio & filiatione terminant paternitatem & activam spirationem, non se habent partialiter, sed totaliter terminant.

Dico secundo, dari in Divinis quinque tantum notiones: nempe paternitatem, & innascibilitatem in Patre; filiationem in Filio; spirationem activam in Patre & Filio, ut sunt principium Spiritus sancti; & processionem seu spirationem passivam in ipso Spiritu sancto. Ita D. Thomas hic art. 3.

Probatur ratione illius; Cum notio pertinet ad ordinem originis, tot debent poni notiones, quot sunt ordinis originum ad dignitatem pertinentes: Sed isti non sunt nisi quinque: Ergo quinque tantum dantur notiones in Divinis. Minor probatur: In Divinis non sunt nisi duae processiones, ex quibus quilibet importat duplicem ordinem positivum originis; processio quidem per intellectum, quae est generatio, importat ordinem ejus a quo est alius; qui ordo vocatur *Paternitas*, & est notio Patris; & ordinem ejus qui est ab alio, diciturque *Filiatio*, quae est notio Filii. Secunda etiam processio importat duplicem ordinem similem; nempe ejus a quo est alius, qui ordo est *Spiratio activa*, per quam producitur Spiritus sanctus, & haec est notio Patris & Filii, in quantum sunt principium Spiritus sancti; & ejus qui est ab alio, & hic dicitur *Spiratio passiva*, quae est notio Spiritus sancti. Praeter illos ordines originis positivos, est adhuc alius ad ordinem negativum spectans, nempe ordo ejus a quo est alius, & qui non est ab alio; qui pertinet ad ordinem originis, eomodo, quo negationes pertinent ad ordinem affirmationum; & sic est *innascibilitas*, quae est alia notio Patris. Sed non est alius modus originis ad dignitatem pertinentis, praeter quinque assignatos, ut ex solutione argumentorum constabit: Ergo non sunt in Divinis nisi quinque notiones assignatae.

§. III.

§. III.

Solvuntur objectiones.

- Obijcies primo: Generatio in Patre, & nativitas in Filio, habent rationem notionis: Ergo dantur plusquam quinque notiones in Divinis: Consequentia patet, Antecedens probatur. Generatio & nativitas sunt rationes cognoscendi Patrem & Filium, & alias ad dignitatem spectant: quod sufficere ad rationem notionis patet ex dictis: Ergo rationem notionis obtinent.
- Respondeo negando Antecedens, ad cuius probationem dicendum est, quod ut aliquid obtineat rationem notionis in Divinis, debet esse ratio cognoscendi personam divinam in seipsa: generatio vero & nativitas, cum sint nomina significantia origines in fieri & tendentia, notificent tantum actus notiales divinarum personarum, non vero ipsas personas divinas in se ipsis; & ideo notiones non sunt.
- Ado quod, generatio & nativitas possunt considerari, vel in recto; vel in obliquo: primo modo dicunt aliquid absolutum, unde ut sic non possunt esse notiones: secundo modo paternitatem & filiationem, qua sunt duae ex notionibus assignatis, important; & ita sub hac consideratione numerum notionum augere nequeunt.
- Obijcies secundo: Ratio Verbi & ratio Filii virtualiter distinguuntur in Filio (& idem dicendum de ratione domini & amoris in Spiritu sancto) At ratio Verbi notio est, cum ad originem spectet, & dignitatem importet: ergo dantur in Filio duae notiones, & totidem in Spiritu sancto; & consequenter plures sunt notiones, quam quinque assignatae.
- Respondeo primo, negando Antecedens: cum enim ratio representationis connotata a Verbo, non distinguatur virtualiter a ratione naturae, qua in conceptu Filii importatur; eo quod illae duae rationes ad eandem lineam intellectuales pertineant; etiam ratio Filii, & ratio Verbi in secunda Trinitatis persona identificantur sine virtuali discrimine, ut in 2. disputacione art. 4. §. ultimo ostensum est.
- Præterea, Dato & non concessio, quod ratio Filii & Verbi distinguantur virtualiter, quantum ad perfectiones absolutas, quas de connotato important: tamen certum est, rationem Verbi, pro eo quod in recto dicit, nempe relatione, non distinguere virtualiter a ratione Filii: esse autem notionem, non competit Verbo aut Filio ratione connotati, vel absoluti, sed ratione illius quod ab utroque in recto importatur, quod est relatio.
- Obijcies tertio: Spiratio activa non est notio: Ergo non dantur quinque notiones. Consequentia patet, Antecedens probatur. Notio debet esse proprietas personalis, nam quod non est proprium, non potest esse ratio cognoscendi personam in sua propria ratione: Sed spiratio activa non est proprietas personalis: cum duabus personis conveniat, scilicet Patri, & Filio, simul spirantibus & producentibus Spiritum sanctum: Ergo rationem notionis non obtinet.
- Respondeo negando Antecedens, ad cuius probationem dicatur cum D. Thom. opus. c. 3. §. 59. proprietatem dici dupliciter; primo absolute, secundo comparative. Sic ribilitas, quae est proprietas hominis, est proprietas absoluta; esse vero bipedem, est proprietas ipsius comparative ad quadrupedia. Ita etiam in proposito, spiratio activa non est proprietas absoluta, quasi conveniens uni personae, sed comparative in ordine scilicet ad Spiritum sanctum, cui ipsa non convenit.
- Obijcies ultimo: Innascibilitas in Patre vel sumitur pro materiali, vel pro formali? Si primum, non est notio a paternitate distincta, cum de formalis significet paternitatem. Si secundum, notio non est, cum negatio sit, & consequenter dignitatem non explicet, de ratione enim notionis est quod ad dignitatem pertineat, ut supra diximus: Ergo non sunt quinque notiones in Divinis.
- Hic argumento patet solutio ex dicendis disputacione sequenti, ubi significatum formale hujus nominis ingenium, quod est idem ac innascibile, exponemus. Nunc breviter respondeo, eligendo secundam partem dilemmatis. Ad probationem in contrarium dicendum est, ad rationem notionis necessarium non esse quod sit dignitas, sed sufficere quod circumlocutive, & a posteriori dignitate explicet: sicut nec requiritur quod sit personalitas, sed quod personalitatem notificet. Licet autem innascibilitas ratione sui formaliter dignitas non sit, tamen a posteriori explicat dignitatem personalem primae personae, scilicet auctoritatem principii, per modum capitis & fontis omnium divinarum personarum ut latius expendimus disputacione sequenti.
- Dices: Si notio in negatione consistere possit, sequeretur plures alias dari notiones, quam quinque enumeratas: nam in Filio negatio procedendi per voluntatem, quae inspirabilitas dicitur, & in Spiritu sancto negatio procedendi per intellectum tanquam terminum genitum, quae

ingenerabilitas appellatur, rationem notionis obtinebunt; & sic ad minus dabantur septem notiones in Divinis: Sed hoc non admittitur a nobis: Ergo &c.

Respondeo negando sequelam Majoris: Inspirabilitas enim nec dignitas est, nec dignitatem denotat. Et idem de ingenerabilitate dicendum: Tum quia, supposito quod aliquid producatur, non dicit, ex nostro modo concipiendi dignitatem, quod careat hoc, vel illo modo productionis: Tum etiam, quia inspirabilitas sumpta ratione sui, creatoris potest competere, & similiter ingenerabilitas; cum creatura non spiretur, & possit produci per actionem quae generatio non sit. Innascibilitas autem, quae in negatione omnis principii consistit, explicat dignitatem, scilicet auctoritatem principii, per modum capitis & fontis omnium divinarum personarum; solumque primo supposito perfectissimae naturae intellectualis competere potest.

Hujus discriminis radicem assignavit D. Thom. 1. ad 61. Annibaldum dist. 28. q. 1. art. 1. ad 3. quia scilicet, quo affirmatio est specialior, eo universalior evadit negatio; & e contra quo universalior fuerit affirmatio, eo illius negatio est contractior: ut constat in negatione animalis, quae limitatio est, & paucioribus convenit, quam negatio hominis; quia animalis affirmatio universalior est affirmatione hominis. Quia ergo inspirabilitas est negatio peculiaris processionis, & ingenerabilitas negatio processionis per intellectum, quae etiam specialis processio est; innascibilitas autem est negatio processionis ut sic; quae universalior est qualibet ex his processionibus; consequens est quod primae negotiationes universales sint, nec ad intellectuales naturam coarctant, subindeque dignitatem non denotent; ista autem negatio coarctetur ad naturam intellectuales, & illius dignitatem designet.

DISPUTATIO VIII.

De Persona Patris.

Ad questionem 33. D. Thomae.

Uo sunt nomina, quae primae personae divinae solent attribui: primum est nomen Patris, quod est tantae religionis & excellentiae, ut Cyrillus in Joan. asserat, hoc praclarissimum nomen magis ei quam Dei titulum convenire: Hoc enim (inquit) dignitatis, illud substantialis significativum est proprietatis. Deum enim si dixeris, verum omnium Dominum ostendisti: Patrem vero si appellaveris, proprietatem retigisti. Deus dicitur & Dominus; quatenus mundum creavit: Pater appellatur, quia Filium aeternum sibi consubstantialem, & Deum genuit.

Cum hac Cyrilli cogitatione concordat id quod refertur Joan. 20. scilicet Christum apparentem Magdalenae post resurrectionem, iussisse illi ut haec annuntiaret Discipulis: Ascende ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum. Ubi praeiicit titulum Patris, eumque Dei titulo atponit: Quia (inquit Theodoretus) appellacione Patris magis quam Domini delectatur.

Secundum nomen quod primae personae convenit, est nomen ingeniti, seu innascibilis, quod etiam summe dignitatis est ac excellentiae: hoc enim nomen designatur, Patrem nendum in Divina personarum Triade, primum tenere originis, sed insuper totius Divinitatis inextrahibile esse ac fontale principium. Unde Dionysius in libro de divinis nominibus. Solus sans super/substantialis Deitatis est Pater. Et Consilium Toletanum sextum: Consistentur Patrem ingenitum, increatum, fontem & originem totius Divinitatis, apud quem non tam paternitas, quam paternitatis principatus.

Sed advertendum est, hoc nomine non solum negationem generationis striete sumptae importari (sic enim non est Patri proprium, sed convenit etiam Spiritui sancto, quia ille non est filius nec genitus, nec eius processio est vera generatio, ut in 2. disp. ostendimus) sed etiam negationem omnis processionis & communicationis ab alio: quo pacto soli Patri convenit, cum ille solus a nullo procedat, & quidquid habet a nullo recipiat.

Circa primum nomen nihil occurrit dicendum. Circa secundum quaerit solet, an innascibilitas, quae per hoc nomen ingenitum, significatur, per aliquid positivum, vel pure negativum, in ratione notionis constituitur? Quam difficultatem articulo sequenti breviter resolvemus.

ARTICULUS UNICUS.

An innascibilitas per negationem, vel per aliquid positivum in ratione notionis constituitur?

In huius difficultatis resolutione tres reperio Auctorum sententias. Prima tenet, innascibilitatem, ut est Patris notio, aliquid positivum importare. Pro qua sententia referantur D. Bonaventura, Aureolus, & quidam alii antiqui

tiqui Theologi, quos ex modernis secutus est Philippus a S. Trinitate hic disp. 6. dub. 3.

Secunda docet illum constitui in ratione notionis per respectum rationis, qui intelligitur in Patre in eo signo, quo concipitur constitui in ratione personae, & Filii generationem procedere. Ita Vasquez disp. 137. art. 1.

Tertia asserit illum in ratione notionis importare aliquem respectum transcendentelem, quo Pater, tanquam fundamentale Trinitatis principium, indivise Filium & Spiritum sanctum respicit. Ita Alarcon hic disp. 7. c. 1. Pro veritatis declaratione

Dico, innascibilitatem non constitui in ratione notionis per aliquid positivum, sed per negationem omnis processionis vel productionis passivae, quam de formalis significat. Ita expresse docet S. Thomas in 1. dist. 28. q. 1. art. 1. ubi ait: Licet ingenitum nihil ponat quod sit de intellectu eius constitutum, non tamen sequitur quod non possit esse notio: quia illud cuius ratio consistit in remotione, operum per negationem verificatur, sicut cadit. Quo nihil clarius & expressius dici potest: unde mirum est quod Philippus a S. Trinitate, hunc locum citet pro sua sententia.

Probat etiam conclusio ex eodem S. Doctore hic art. 4. ad 1. ubi postquam relatur sententias illorum, qui dicunt innascibilitatem, prout est Patris proprietatem, vel significare quod a nullo fit, & quod sit principium aliorum, vel universalem auctoritatem, vel fundamentalem plenitudinem, sic concludit. Et idem dicendum est secundum Augustinum, quod ingenitum negationem generationis passivae importat. Et paucis interpositis, ait: Nec propter hoc sequitur quod ingenitum non debeat poni propria notio Patris, quia prima & simpliciter per negationem notificatur: Ex quibus sic arguo: Primum argumentum D. Thomae intendebat probare, innascibilitatem non esse notionem, eo quod notio ponat aliquid in eo cuius est; ingenitum autem nihil ponit, sed removel, cum negationem importet. Cui argumento respondet, quod licet ingenitum, seu innascibilitas, negatio sit, tamen esse potest notio Patris, quia simpliciter per negationem notificatur: At si sentiret, ingenitum in ratione notionis, non per negationem, sed per positivum constitui, non sic responderet, sed facilius argumentum solveret, asserendo quod licet negationem significet, non tamen per illam, sed per positivum in ratione notionis constituitur: Ergo innascibilitas, non per aliquid positivum, sed per negationem omnis processionis vel productionis passivae, in ratione notionis constituitur.

Secundo probatur conclusio ratione fundamentali. Ad rationem notionis sufficit, quod notificet aliquid personale, pertinens ad dignitatem, nec requiritur quod ipsa notio, ratione sui dignitas sit: At negatio, significata nomine ingeniti, notificat in Patre aliquid pertinens ad dignitatem, scilicet primatum originis, & immediatam terminationem paternitatis respectu naturae divinae, quae dignitas nulla alia proprietate explicatur: Ergo etiam si ratio sui dignitas non sit, erit notio ratione sui. Minor patet, Major autem probatur primo ex doctrina D. Thomae jam adducta. Secundo, quia non magis requiritur ad rationem notionis, quod significet aliquid ad dignitatem spectans, quam quod significet proprietatem personalem; cum primum ex secundo colligatur: Sed ut aliquid notio sit, non requiritur quod ratione sui sit proprietate personalis: sed sufficit quod proprietatem personalem circumlocutive significet, seu notificet: Ergo etiam non requiritur quod ratione sui dignitas sit, sed solum quod circumlocutive notificet dignitatem. Tercio probatur eadem Major contra Vasquez, argumento ad hominem. Nam ille docet, ut vidimus innascibilitatem in ratione notionis per relationem rationis constitui. Sed relatio rationis, cum nihil reale & positivum sit, ratione sui nullam dicit perfectionem aut dignitatem (est illic notificet aut explicet.) Ergo ad rationem notionis non requiritur quod ratione sui dignitas sit, sed sufficit quod dignitatem explicet, aut manifestet.

Denique probatur conclusio specialiter contra Alarcon, destruendo praecipuum eius fundamentum. In Patre non datur aliquis respectus transcendentelem, quo indivise Filium & Spiritum sanctum respiciat: Ergo innascibilitas per respectum illum transcendentelem non potest in ratione notionis constitui. Consequentia patet. Antecedens probatur. In Patre non datur aliquis unus & communis influxus, quo in Filium & Spiritum sanctum influat: Ergo neque unus respectus transcendentelem, quo indivise utramque personam respiciat. Antecedens est certum: Filius enim adequatè procedit per intellectum, & Spiritus sanctus per voluntatem, nec datur alia tertia ratio influendi in ipsos. Consequentia vero probatur. Omnis respectus quo in Divinis alia persona aliam respicit, five sit transcendentelem, five predicamentalis, aut quasi predicamentalis, debet in influxum & origine activa vel passiva fundari: Ergo si in Patre non datur unus & communis influxus, debet in Filium & in Spiritum sanctum influat, non poterit dari unus respectus transcendentelem, quo indivise utramque personam respiciat, ut docet Alarcon,

sed adequate Filium respiciet paternitate, & Spiritum sanctum spiratione activa.

Sed opponit ille Auctor, quod Pater vocatur a S. Patribus Fontana Divinitatis, seu Fundamentale Trinitatis principium, unde ad notionem Patris pertinet hoc quod esse principium universale, & veluti primam radicem aliarum personarum: At in ratione principii radicalis Filii & Spiritus sancti, non constituitur per paternitatem & spirationem; cum per illas solum comparatur ad Filium & Spiritum sanctum, ut proximum illorum principium: Ergo per formalitatem aliquam ab illis distinctam, quae cum absoluta non sit, nec sit relatio predicamentalis, erit utique transcendentelem relatio, qua ut principium radicale indivise utrumque respiciet, & consequenter haec fundabit negationem ingeniti, innascibilitatem in ratione notionis constituet.

Respondeo, concessa Majori, negando Minorem. Ad cuius probationem dicendum est, paternitatem posse considerari dupliciter, scilicet ut est relatio, & ut est substantia, seu forma hypostatice, primo terminans & modificans naturam divinam. Sub priori consideratione non constituit Patrem fundamentale Trinitatis principium, seu principium radicale Filii & Spiritus sancti, sed solum illum referat ad Filium: bene tamen sub posteriori, quia ut sic fundat in Patre incapacitatem essendi ab alio, & connotat divinam naturam, ut a se & non ab alio habitam: unde sub hac ratione paternitas de materiali & fundamentaltè hoc nomine, ingenitum, prout est Patri proprium, & notio illius importatur.

Dices, Ex hoc sequi innascibilitatem non esse notionem a paternitate distinctam: nam ad constituendam diversam notionem, requiritur conceptus obiectivus virtualiter distinctus, ut disputacione praecedenti dicebamus: Sed paternitas, ut forma hypostatice, non distinguitur, virtualiter a se ipsa ut referente: Ergo si ut forma hypostatice hoc nomine ingenitum de materiali importetur, innascibilitas non erit notio a paternitate distincta.

Sed facile responderetur, negando sequelam Majoris: Ad cuius probationem dicendum est, quod ad constituendam diversam notionem, requiritur conceptus obiectivus virtualiter distinctus, scilicet ex parte illius quod de formalis significat, non tamen semper exigitur, quod virtualiter sit diversus ex parte eius quod fundamentaltè & de materialitè tantum importat, unde cum paternitas, ut gerit manus substantie & formae hypostatice, primo modificatè naturam divinam, de materiali solum & fundamentaltè hoc nomine, ingenitum, prout est Patri notio importetur, illudque de formalis significet negationem omnis processionis, seu passivae productionis, quae virtualiter a paternitate distinguitur, innascibilitas erit notio a paternitate distincta.

DISPUTATIO IX.

De Persona Filii.

Ad questionem 34. & 35. D. Thomae.

Varia in sacris litteris Dei Filius sortitur nomina, quae sub duodenario numero Ambrosii lib. 2. de fide in prologo ex variis tam veteris, quam novi Testamenti locis collegit. Vocatur enim Filius Dei, Verbum, Imago, Idea, Principium, Sapientia, Lux, Candor lucis aeternae, Character, Figura substantiae, Speculum, Veritas. De quibus nominibus haec subiungit idem Ambrosius: Hi sunt pretiosi illi lapides, Sardius, Jaspis, Smaragdus, Chrysolypus, & alii, quibus sancti Aeterni, qui Christi figuram gestit, vestimentum inseritur. Illic veri amicus est Sacramentis, hic vestis nuptialis, hic textus propheticus, qui bene noviter ista contexit. Filius Dei dicitur, quia ex Deo Patre nascitur. Verbum, quia ex ore Altissimi cum perfecta eius notitia prodit. Imago, splendor gloriae, & speculum: quia nihil est deest quominus perfecte Patrem exprimeret possit. Vapor virtutis Dei, quia eisdem cum Patre naturae. Candor lucis aeternae, quia est coaeternus. Character, a Patre personali differentia, non essentiali perfectione discretus.

Ex his nominibus alia sunt quae respectum dicunt ad Patrem, ut Filius, Verbum, Imago: alia quae relationem ad creaturas expriment, ut Idea, principium, exemplar: alia propria & notionalia, ut Filius, Verbum, & Imago: alia omnibus personis communia, & Filio appropriata, ut lux, virtus, vita, principium, idea, &c.

De his omnibus nominibus non agit D. Thomas in praesenti, sed tantum de duobus praecipuis scilicet de nomine Verbi, & Imaginis: quia (inquit) ratio Filii ex ratione Patris consideratur. Unde huius S. Doctoris vestigijs inherentes solum de ratione Verbi & Imaginis in hac disputacione differemus.